

<sup>#</sup>  
NORMA VITA  
Religiosa Congregationi  
B. V. MARIAE

Sine labe Concepta  
Eremitarum Marianorum fide-  
bus defunctis praecipue Militibus  
et peste sublati Suffragantium

Proposita  
et ab Eminentissimo et Rndmo Dno Dno  
Lucio Cardinali Colloredo  
ex commissione Sacrae Congregatio-  
nis Regularium et Episcoporum  
Correcta

Roma Anno Dni 1694to.

N. 32. productum judicialiter die  
16. Martij 1743. Fray Grozbowski  
Notarius



# Prefatio Informativa

Congregationem Immaculatae Conceptionis hanc, de qua te informamus Lector benevolentissime, in Statu Eremitico placuit pietissimo Aristoteli Stephano Wierzbouio, Posnaniensi Episcopo, et Nominato Archiepiscopo Gniezneni, laudabiliter vitam perfuncto, canonice erigere; tum Sanctissimo Domino Nostro D. Innocentio Papa XI felicitis recordationis certis Indulgentijs atq; Confraternitate dotare; Serenissimo demum atq; Invictissimo Principi Joanni tertio, felicissimo Regi Poloniae cum universa Rep. Polonia in Comitibus Generalibus 1647 Varavia celebratis probare, et in perpetuam assumere protectionem. Eum vero Eremitas in triplici differentia olim fuisse et nunc esse docet in quodst. regul. eruditissimus P. Emmanuel Rodericus Lusitanus Minoritand Obseruantia notus Theologus: Alij enim Sunt (inquit ille) Serbita per mundum euntes: Alij dicuntur Anachorita seu Solitarij, tertij dicuntur Canonita. Inter quos omnes illi, qui profitentur vitam religiosam in Ordine viuenda approbata a Papa, aut ab Episcopo (quod notandum censuerim) habentes Superiorem, nihil habere possunt proprium et inter personas Ecclesiasticas computantur. Gaudere



dere quoq; præsertim istiusmodi Eremitas privilegi:  
is Monachorum et Clericorum, fori, et Canonis præ:  
ter multos alios. Lezana tom. 1. q. reg. Angelus in  
conf. 121 Sunt authores; nec quisquam, quantum  
nosse potui, huic Sententiæ aduersatur. Quam opini:  
onem, uti communem etiam Domini de Nota decus.  
1. de regul. in antiquis sunt amplexi teste Laureto  
de Franchis p. 2. q. 41. Vita autem Eremitarum,  
de quibus hic loquimur, est approbata in Statu peni:  
tentium c. aliud, 10. q. 1. ut idem Lauretus notauit.  
Ex quo sequitur non indigere illos ullâ approbatione,  
cum iudicialiter et canonicè ab Ordinario loci sunt  
admissi. Censet præterea Lezana Romanus The:  
ologus loco citato; eum, qui talem Statum Eremiti:  
cum uouit de futuro, teneri uoto satisfaciendi.  
Quod si iam est amplexus hunc Statum in aliqua præ:  
sertim Congregatione Eremitarum saltem ab Episco:  
po approbata, et in ea professionem emisit; talis non  
potest hunc Statum mutare, nisi cum dispensatione  
Romani Pontificis ad Instantiam Superioris dicte  
Congregationis obrenta ob causas iustissimas, et  
gravissimas, idq; propter præiudicium tertij. Ita  
Sacra Penitentiaria consultata, a quodam istiusmo:  
di Eremitarum Superiore declarauit 1691. Hab:  
tantes autem in Canonibus tales Eremitas non  
includi



includi in prohibitione de nouis domibus recipien-  
dis, posseq; habere modum viuendi approbatum ab Epi-  
scopo degentes in Congregatione affirmatissimi tenen-  
dit peritissimus Iuris Pontificij Interpres Prosper Fa-  
gnano 2. Decret. in c. Nullus, n. 55. Atq; tales ordina-  
ri posse ad titulum Paupertatis, siue Congregationis,  
(quod magis Roma probatur) nemo dubitare queat.  
Hæc præmissa breuiter ad informandos eos, qui si-  
nistre de præsentis sentiunt et loquuntur Instituto,  
partim ob ignorantiam eius, partim ob malam Infor-  
mationem. Quod si paucula sequentia capita, his  
Eremitis Marianis proposita ad obseruandum be-  
nigniore oculo inspexerint, utiq; beneuolentiores in  
eos futuri; qui nihil aliud præter DEVM et Gloriam  
Eius, præter honorem Virginis Electissima, præter  
Salutem animarum et propriam, præter Suffragia De-  
functorum, quæruunt, aut concupiscunt. Cæterum  
quamuis hæc Congregatio in exposito Statu Eremita-  
rum sit erecta; non tamen ita Solitudini inhæret ut  
non meritorium sibi <sup>quæruunt</sup> ducat, proximorum etiam Spi-  
ritualibus obsequijs, quantum fas est, absq; præiudi-  
cio alieno, occupari. Neq; potius Eremiticum titulum  
sic exambit, ut cupiam se exaguet. Verum San-  
ctissimos quosq; ac uetustissimos et religiosissi-  
mos Ordines, ac Instituta omnia, ita sibi colen-  
da



da esse censet, ut omnium se ultimam profiteatur, et eorum Submissè commendet se protectioni et charitati. Ex his omnibus colligere quisq; benevolè queat, hoc præsens Eremitarum Marianorum Institutum in Statu per ius Canonicum approbato fundatum, nullâ aliâ approbatione indigere. Nam cum pro Confirmatione eius Præpositus generalis ad Sanctam Sedem Apostolicam recurrisset, totumq; negotium imprimis à Sacra Nuntiatura Apostolica Polona per annum ferè fuisset examinatum, et ex istius informatione in Vrbe quoq; diutius ventilatum; tandem per Eminentissimum Cardinalem Supradictum responsum est, Sufficere huic approbationem loci Ordinarij, et hanc Normam vitam ab Eminentia Sua Summo Studio euolutam, Summâque Sapientia correctam; prout in Authenticis Eminentia Sua literis ad Præpositum et Socios datis et Illustissimo ad Reverendissimo Dño feliciter moderno Antistiti Nostro Posnaniensi presentatis et acceptatis continetur.



4.

#  
Caput Imum

De fine et admissione.

1. Cum nulla Communitas absq; legum præsidio Subsistere queat, nec deceat quenuquam in hac mortalitate ex legem esse: proinde Vos in una Societate congregati, et Cenobialis inclusi, Sub unius Præpositi regimine (præter S. Augustini Regulam) hæc paucula Statuta pro Vestra interna tranquillitate, et Securitate Conscientiarum Vestrarum Sedulo contendetis observare.

2. In primis finem Vestra Congregationis diligenter et assiduo expendite; qui sicut omnium Sanctissimarum Religionum, ita uester communis esse debet: Maius incrementum Divina gloria, et cum desideria ad perfectionem tendentia propria salutis cura. Quid enim prodest homini, docente Salvatore, si mundum uniuersum lucretur, anima uero sua detrimentum patiatur? Ne tamen otiosi stetis in Vineâ Domini Cultum Immaculatæ Conceptionis Electissimæ D&D Matris Virginis pro modulo Virium Vestrarum promouebitis, et fidelium defunctorum piacularibus panis addictorum animabus præcipue militum, et peste extinctorum, Summo studio, pietate, feruore, Suffragabimini.

8.



3. Quamquam non prohibebuntur, qui fuerint eius-  
modi talentis dotati, Parochos in laboribus Eccle-  
siasticis humiliter adiuuare; si quando præuiã  
facultate Ordinariorum et Superiorum ab illis fu-  
erint aduocati: cum non rigorosè ad eò contem-  
platua uita uobis conueniat, etsi in Satis Semi-  
tarum fundati Sitis.

4. Jam uerò uestram Societatem expetentes bene sint  
noti, aut Saltem commendati: literas præterea le-  
gitimi ortus exhibeant: animo uita perfectius in-  
stituenda, mores institutis accomodandi, ad fi-  
nem uocationis perseueranter contendendi ueni-  
ant: tum nullis censuris, debitis, litibus, implica-  
ti sint.

5. In educatione Tyronum Apostolica Constitutio-  
nes teneantur, nec ad uotorum iuramentiq; perse-  
uerantiã emissionem prius idonei esse censeantur,  
quam fuerint in omni genere mortificationis, Ora-  
tionis, penitentia, recollectionis, aliarumq; Virtu-  
tum studio benè probati: norintq; factã professione,  
uiam sibi deserenda uocationis (excepto ad Strick-  
orem obseruantiam alicuius Religionis approbata  
cum uenia Propositi Congregationis, et Aposto-  
lica dispensatione, transitu) perpetuò præclusam  
esse. Si quis tamen reperiretur incorrigibilis,  
machinator,



machinator, perturbator, Scandalosus, post tertiam ad-  
monitionem aut cellula per sex menses includatur,  
et nisi resipueris, e Congregatione dimittatur; aut si  
aliquem Ordinem approbatum sibi delegerit, et bene-  
volos receptores habuerit, eidem commendetur.  
6. Forma autem professionis elapso probationis  
tempore facienda hæc erit.

Ego N. Filius N. Diocesis N. annorum N. Spontè ac  
liberè ex puro amore DEI ad ampliorem eius glori-  
am, et honorem Virginis Electissima, ad auxilium  
defunctorum Suffragij carentium præcipue mili-  
tium, et peste Sublatorum offero me Divinae Mari-  
stati, ac Deiparæ V. M. A. R. I. A. E., in Religiosa  
Eius Immaculata Conceptionis Congregatione  
Clericorum Recollectorum Sive Eremitarum Ma-  
rianorum, idq; perpetuò et irrevocabiliter, uove-  
oq; Paupertatem, Castitatem, et Obedientiam Præ-  
posito illius. Ita me DEVS adiuvet, et hæc San-  
cta Evangelia.

## Caput II.

### De Charitate.

1. Optimè Doctor Gentium DEI Seruum uerè  
non feruentem charitate ari Sonanti et cymbalo  
tinnienti comparavit. Vita namq; æterna consecru-  
tio, meritorumq; pretium in charitate situm est.

Prinde



Proinde quilibet Vestrum pro bonis omnibus hanc  
sibi gemmam preciosissimam, hunc thesaurum in  
agro absconditum, studeat efficacissime comparare.  
Sicet enim charitas DEI donum sit, orationis ta-  
men et mortificationis assiduitate et obtinetur, et  
conseruatur. Omnia ergo apud uos in charitate fiant.

2 Præcepta DEI et <sup>euangelica</sup> consilia, Ecclesia S. Romana Ca-  
tholica leges, instituta, sancita, ritus, consuetudines,  
dogmata; hæc quoque præsens Norma, et si quando plu-  
res darentur ordinationes, ex amore DEI seruentur.  
Sic enim cælestis Præceptor intonat: Si quis diligit  
me, sermonem meum seruabit. Quod non solum de  
Sancta eius doctrina, et Sacris literis, sed pariter  
de S. eius Ecclesia, quam Ipse per Spiritum Sanctum  
erudit, et gubernat, mandatis ac documentis, ma-  
iorumque placitis ab ea defluentibus, aut confirmatis  
intelligendum est.

3 Præterea ex amore DEI omne bonum operabimini, o-  
mne malum fugietis: omnem uirtutem possibilem exer-  
cebitis, omne uitium ac peccatum detestabimini. Ex  
amore DEI mortificationes, afflictiones, reprehen-  
siones, iniurias, calumnias, labores, dolores, inopiam,  
austeritatem, aliaque huiusmodi libenti ac fortiter animo  
perferetis. Ex amore DEI exercitia Vestra, officia,  
negotia uobis commissa, et quidquid Statum Ve-  
strum



Itum Vocationemq; concernit, quam perfectissime  
exequemini. Amori Diuino omnes vestras totius  
vitae, praesertim quotidianas actiones et passiones, et  
omnia ac singula momenta, atomos, circumstanti-  
as, mutationes, omnium singularumq; actionum  
et passionum, qua par est Submissione, fiducia,  
pietate, pro tota aeternitate in amoris ara, corde  
inquam puro, cum Christi Domini Matrisq; eius  
Illibatae, Sanctorumq; Omnium, et Ecclesiae vniuer-  
sa meritis consecrabit. Hae deniq; sit commu-  
nis vestra regula, et via ad caelum securissima,  
quam in utroq; testamento Diuina Sapientia com-  
mendatissimam uoluit. Diliges Dominum De-  
um tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua,  
ex tota mente tua.

4. Ad mutuam charitatem quantum attinet, ille se  
sciat inter uos Diuinae Maiestati chariorem, qui  
charitate mutua excellenter habebitur. Cogitet  
quisq; animam esse Instituti sui charitatem, a qua  
quantum recederet, tantum a vita. Proinde sicut  
totius Congregationis bonum, famam, integritatem,  
Sanctimoniam, serio promouebit: sic eiusdem per-  
sonis singulis eadem omnia, quae sibi exoptaue-  
rit, praestabit. Vitabit ergo pestiferam illam, et  
charitati aduersantissimam luem, inuidiam, odium,  
rancorem, emulationem, Suspicionem, infamatio-  
nem, antipathiam, Sympathiam, Zelotypiam,

de la.



delationesq, scommata, susurraciones, oblocutio:  
nes, uexationes, ambitionem, contemptum, pertur:  
bationem, tumultum, rixas, lites; et ut sui ani:  
mi tranquillitati, sic aliena et domestica studi:  
osus claritatis custos, inuigilabit. Deniq tam  
a tota Congregatione, quam ab eius quolibet mem:  
bro, quoduis malum conuenienter propulsabit.  
Memento dilectionis primad Ecclesia, de qua  
Apostolicorum Actorum Scriptor c. 4. Multitu:  
dinis, inquit, credentium erat. cor unum, et ani:  
ma una.

S Præterea externis omni data occasione omnem  
possibilem charitatem exhibere non negligens: neq  
illos tantum, quos beneuolos uobis experiemini,  
Sed aduersarios quoq, et quos Dominus Noster  
merito præcipit diligere, inimicos, pio amore  
prosequemini: Operum misericordia, quæ Supre:  
mo Capiti Christo in membris exhibentur, et Sa:  
la in districto eius tribunali triumphabunt, Sem:  
per memores.

## Caput III.

De Obedientia, Paupertate, Castitate.

1. Obedire debetis in primis Deo, Romano Pon:  
tifici, Episcopis, Sui Religionis Præpositis;  
deinde horum Vicarijs, domesticis Officialibus,

can:



campand uos ad communia exercitia uocantidq;  
alacriter, promptè, perfectè, patientèr, humiliter, for-  
titer, perseueranter. Neq; uereamini Subdi homini-  
bus, cum Apostolus uelit nos omni creaturâ Sub-  
ditos esse, multò magis omni potestati. Non est  
enim (inquit ille) potestas, nisi à DEO, hinc qui  
resistit potestati, Diuinâ ordinationi resistit,  
quod maxima Stultitia genus est. Motuum est  
exemplum obedientiâ Sumatis ab ipso Redem-  
ptore Nostro, qui humiliauit Semetipsum factus  
obediens usq; ad mortem, mortem autem Crucis.  
Qua in re, qui eum detrectaret imitari, hunc ap-  
paret nolle cum Christo regnare, si nollet obse-  
qui debita authoritati pro Christo. Ordo au-  
tem in obediendo hic tenendus; ut minor potestas  
cedat maiori; neq; hanc illa conetur enervare:  
posterius quoq; mandatum, si prius reuocatum  
clarè fuerit, huic anreponendum. Sicut uerò quâ  
par est Submissione Locorum Ordinarios uene-  
rari debeatis omnes, et eisdem ad parendum prom-  
ptissimi esse; nihilominus propter uitandam con-  
fusionem in regimine, et perturbationes plurimas,  
Soli Præpositi attendent iustis Episcoporum man-  
datis, Socij uerò absq; ulla tergiversatione et  
prætextu Præpositis obediunt, et legibus; neque  
ullum



ullum ius, aut beneficium se habere putabunt,  
Propositos ad extanea Subsellia Sive Confessoria  
euocandi, idq; propter euitandas plurimas discor:  
dias, et scandala, et rebelliones; Sed si quid con:  
trouersiarum acciderit unquam, aut defectuum mi:  
nus notabilium, id intra Solam Congregationem  
ordinario modo, pacifice, et iuste componatur, et  
corrigatur. Per hanc nihilominus Regem, ni:  
hil Puri Canonico, nihil Sanctae Romanae Ecclesiae  
decretis atq; placitis cogitamus contraherere. Quod  
si quis refractarius fuerit inter uos repertus, aut  
perturbator, aut aliorum Concitator iniquus, is omni:  
um conspiratione, quieti interna, ac bono regimi:  
ni fauentium spiritus tamen dato loco iusta defen:  
sioni, et expurgationi, et seruato iuris ordine  
etiam adhibito Seculari brachio, si necesse fuerit,  
compescatur. Verum enim seruum Dei pacifi:  
cum decet esse; nec expendere debere, cui? sed  
cuius amore? debeat obedire. Penitentias o:  
mnes et mortificationes, a Superiore uobis of:  
fignatas humiliter, et hilariter quantumuis  
uideantur graues, cum Divino adiutorio impli:  
atis; neq; contra maiores murmuratis, aut conque:  
ramini, Sed eos et ametis et honoretis. Quod  
si quispiam uere grauanus ab aliquo Superi:  
ore



ore fuerit, aut id patientissime pro merito uita  
aeterna perferat, aut modestissime eidem, quo pre-  
mitur, per se uel per alium aperiatur, quatenus is  
debito moderamine utatur.

2. Paupertatis Vestrae in hoc essentia consistit, ut  
nullus quidquam absq; Superiorum consensu pri-  
uatum habere, nec aliquid proprium appellare aude-  
at. Quae autem illi fuerint ad usum concessa, niti-  
de, integre, et quantum fieri potest diuturne con-  
seruet. Proventus omnes ad communem usum per-  
tineant, siue sint ex elemosynis, siue aliunde  
collecti: et horum colligendorum, seruandorum, di-  
spensandorum, ea prorsus ratio, qua Pontificis  
decretis continetur, sub penis ibidem contentis  
inviolabiliter obseruetur. Non solum pecuniam  
sub priuationis uocis a chud et passiva pena,  
sed neq; res comestibiles, aut potabiles quosquam  
apud se retineat sine Superioris facultate, idq;  
rationabiliter ad aliquod tempus concessa. Omnes  
enim debent ex communi massa et mensa uiuere.  
Haec autem facultas potissimum senibus ac aegris,  
tantum concedenda prouiso omni detrimento. Inde  
etiam nullus uestrum sine eadem Superiorum uenia  
quidpiam a quoquam sine domestico siue externo  
recipiat, neq; cuiquam tradat. Patrimonium autem  
et si qua bona habuerit in saeculo, ante profesio-  
nem



non disponat, nisi aliquo casu fuerit impedi-  
tus, tum id professione facta quam citissime ex-  
pediat, cum Dominus Noster aperte pronuncia-  
uerit: Omnes qui non renuntiat omnibus quod  
possidet, non potest meus esse discipulus. L. luc.

14. Ceterum ne ob rigidiorum inopiam socij desi-  
des in obsequio DEI sint, superiores illis omnia  
sufficiencia iuxta leges uestras, non tamen super-  
flua, quantum poterunt in Domino providebunt.  
Quamuis unumquemq; deceat memorem esse, quin  
imitatorem celestis Regis indigentis, qui nec pro-  
prium tectum habuisse legitur, et aliquando sitiens  
aquam petijse non erubuit. Quocirca et nos  
in summa paupertate constituti cum opere exul-  
tare, quod tunc ueri Christi Domini discipuli pos-  
sitis esse, et sequaces.

Et quoniam Obedientiam castitatem custodiam, et  
Paupertas nutrit, ideo studiosus puritatis ani-  
mus in illis se exerceat, et hanc possidebit. Quan-  
quam ad Angelicam vitam uirtutem conseruanda  
plurimum quemq; inuare poterit oculorum modestia  
animiq; frequentissima in DEUM eleuatio; fuga  
orij, confabulationum, inutilis lectionis, periculo-  
sa conuersationis prudens declinatio, cella amor,  
et clausura animatio; Spiritus Sancti, Deipa  
72



ra Virginis, Angeli Custodis, Sancti Iosephi, Sanctarum Virginum ardens inuocatio. Superiores autem adlaborabunt, ne quem in tanta uirtutis aliquod discrimen precipitent, aut in eo positum negligant, ut potè rationem sibi commissorum Stricissimam DEO reddituri.

## Caput IV. De mortificatione.

1. Ad internam mortificationem passionum, concupiscentiarum, proprii iudicij et uoluntatis, sine qua uetus Adam nullo modo exui potest, et in qua uos decet esse probatissimos, plurimum etiam facit corporis castigatio. Mortificate membra uestra (inquit S. Paulus Coloss. 3) quae sunt super terram. Itaq; cibus uester moderatus sit, qui famem ardeat, non satiet; leguminibus, herbis, radicibus, pulmentis non exquisiti confectus. Carnes (exceptis infirmis, debilibus, Senibus, uiatoribus) ne comedatis; butyrum tamen, aut aliquam pinguedinem pro condimento adhibere fas erit. At extra domos uestras, quod fuerit uobis appositum, cum DEI benedictione moderate sumetis.
2. Potus uester ordinarius aqua deberet esse laeuis, alium pro Superioris arbitrio. Si habueritis, parca biberis, excepto cremato, quod uobis interdictum est.

Extra



Extra mensam uerò nemini abiq; Superioris licentia  
quidquam sumere liceat, nec extra domum. Frequentè  
cogitate: escam quidem uentri, at uentrem uermibus  
destinatum esse. Sic naturam paucis contentam red-  
deris, et spiritum uegenorem. Tanc initium uitæ ho-  
minis aqua et panis fuit, et cum eic homo epula-  
batur, diutius uiuebat. Nunc abundantia d'apum  
morbos parit, uitam abbreviat, orcum pandit. Nig;  
is, qui epulabatur quotidie splendide, sepultus  
est in inferno. Contenti ergo estote uili et paucis  
cibo, ac potu, et non murmurate propterea aduersus  
quenquam. Si enim uiderit Superior in Domino,  
posse aliquid ultra duo fercula apponi, utiq; pruden-  
tia hoc eius relinquatur, præsertim tempore magna-  
rum celebritatum, et mensural recreationis. Hanc  
enim legem eius authoritas ratione personarum,  
locorum, temporum, in timore Domini poterit mitiga-  
re, tam in quantitate, quam in qualitate.

3 Præter ieiunia Ecclesiastica, et Regionum consue-  
ta, Vigilia de septem festiuitatum. Dominæ Nostræ,  
et Sanctorum, Michaelis Archangeli, Iosephi,  
Stanislai, Annæ, cum uno misculo, aut ita pa-  
ne et aqua ieiunabitis. Tum à festo S. Marti-  
ni exclusiue ad festum Immaculatæ Concep-  
tionis Virginis electissimæ, et ab huius Octaua ad  
Natiuitatis Dominicæ Solemnia, quadragesima-  
les



les cibos adhibebitis, secundum consuetudinem locorum: et cum abstinentiâ corpus premittis, magis a vitijs abstinere satagite. Inordinate enim ieiunat, qui partem inferiorem premit Superiore neglectâ, nec fructu odè corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate reuocetur.

¶ Et quia mollities indumentorum non Superbia modo, sed etiam libidini militat, propterea Vobis uti premitis erunt vestes de panno simplicissimo rudiori, et crassiori: Tunica talaris, non quæ verrat, nec quæ talos nimium aperiat; pallium breue ad genuflexionem cuiusq; Ciliçium ex tela crassa, uel alia mordace materia. Omnia candidi coloris in honorem candidæ Conceptionis Domine Nostræ, in quibus mundities Summa prouertur. Sordida enim Paupertas nemini placere queat.

¶ Pedes in æstate Nudi cum Sandalijs ligneis Saltem intra domum; foris et in hieme propter aliquam decentiam et conseruandam Sanitatem in regionibus frigidis calcei simplices, uniformes, non exquisiti, permittuntur: si tamen subduch pelibus agnini, quæ etiam ad munuendum corpus in aigido climate consulto Proposito Congregationis adhiberi non uetantur. Fratres tamen Operarij differentem à Clericis habitum gestare debent, nempe tunicam talarum cinerici coloris, et galbum



et pallium sine collari; qui Operarii hi intelliguntur, qui in choro cum reliquis Officium Defunctorum aliaq; latino idiomate nequeant absoluer. Quietem corpori daturi illud in Stramento componetis, pallioq; proprio, aut aliquo simplici gausapi, uel lodice cooperietis uerecundia tenacissimi. Tonsuram clericalem uniformem omnes adhibebitis, iuxta Ordinum qualitatem, obseruando eius mensuram; Singulis mensibus etiam barbam et mustas radendo.

6 Communis flagellatio feriâ secundâ, quartâ, et sextâ pro Vestris et alienis peccatis, præcipue pro defunctis, fiet: qualibet uerò die Surgendo, aut eundo cubitum quilibet eam poterit in honorem Domini Nostri flagellari pie usurpare, et quoties alicui per Superiorem iniungeretur.

## Caput V

### De Recollectione

1 Recollectio Vestra continua hæc erit, ut ubique DEVM præsentem agnoscat, colatq; benedicat, et sic in conspectu eius modestè fidelitèr pieq; uersemini, quemadmodum seruos decet in præsentia Domini sese gerere. Studete DEVM increaturis omnibus contemplari, non solum in uobis.

met



metipsis; Siquidem in eo uiuimus, mouemur, et  
Sumus: et hac ratione nunquam uobis ex ani-  
mo elabatur.

2 Singulis horis uos examine, quantum in amore  
DEI profecistis, aut defecistis: itaq; emendare defe-  
ctum, et profectum procurate. Quod si uos horis sin-  
gulis cogitabitis morituros, aut eas saltem uobis pre-  
terlabi non redituras; utiq; dabitis operam, ut quam  
plurimum adiuuante DEO continuo mereamini, de-  
narium diurnum infallibiliter fidelibus famulis elar-  
giendum expectantes.

3 In templo, aut Oratorio quoties eritis, in celo  
uos esse putate. Antè Venerabile quoties transi-  
bitis, terram humiliter osculabimini, adorando pre-  
sentem realiter celi terraq; Dominum, et pro tam  
admirando memoriali dignè gratias persoluen-  
do.

4. Silentium beatæ recollectionis custos inter uos sit  
continuum; præsertim in Oratorio, Sacratio, Refe-  
ctorio, alijsq; locis communitati designatis; post  
nocturnam uerò et antè matutinam benedictionem  
nemini quidquam loqui licebit. Quod si quis pri-  
am habuerit necesse alterum alloquendi, id cum ue-  
niã Superioris faciãt, Sempèr præmissis ante  
alloquendum uerbis, Benedictus DEVS,  
et altero respondente, In æternum. Episcopus  
tamen et Superiores quosuis Christum in ijs

uene:



uenerando Submissius petita prius benedictione,  
alloquemini.

5. Singulis diebus meditationi duas horas dabitis,  
et singulis mensibus ordine facietis recollectionem,  
quam Spiritualia exercitia uocamus; à qua neque  
Superiores uolumus habere exemptos, ni sub mu-  
nere impediuntur. Quorum tamen cura erit, ut con-  
tinuò sit aliquis in recollectione, et tibi feruenter  
pro Ecclesia Romana Catholica, Christianis Prin-  
cipibus, Religione, Domino, Benefactoribus, Defun-  
ctis, Diuinam Honitatem deprecetur.

6. Vota uestra quotidie priuatim ante Sanctissimum  
renouabitis; ut sitis memores uocationis uestrae, et  
auidi praemiorum legitime certantibus usq; ad mor-  
tem, paratorum.

7. Tijronum quilibet post ingressum saltem duabus he-  
bdomadibus, et ante professionem pariter; tum ordi-  
nandi clausi in cubiculo assidua orationi mentali  
ac uocali, examini conscientiae generali, uocationis  
expensionis, diligenter uocabunt.

8. Ne quoq; ab externis perturbemini, porta domus e-  
rit semper clausa; neq; ullum cuiquam licebit in-  
trodúcere externorum, atq; uenia superioris, neq;  
domesticorum atq; eadem exire sub graui pena.  
Quoties uero aliquis extra mittetur, nunquam sine  
socio, nisi aliter Summa ratio exposulauerit, exi-  
bit: attendens foris adificationi bona hominum  
uerbis



verbis et actionibus, nec quidquam observantia  
sua negligens, orationi in progressu intentus; et pro  
tempore assignato reuersus, de omnibus quae egerit,  
Superiorem candidè edoceat. Signo autem noctur-  
na quietis dato, nemo per curritorium vagari au-  
debit; in quo ex Pontificio decreto tota nocte lam-  
pas deberet collucere.

¶ Ut etiam domesticam tranquillitatem habeatis nul-  
lâ ratione quisquam ex cella sua prodeat, nisi le-  
gitimâ necessitate compulsus: multominus alienam  
ingrediatur, aut aliquem ad suam admittat. Ha-  
beat illam semper mundam, lectam compositam,  
aquam lustralem, effigiem Crucifixi, aut Virgi-  
nis Electissimae, siue alicuius Patroni Sancti, Sim-  
plicem potius, et chartaceam, quam pictam. Me-  
mor hinc semper sit. Diuinâ praesentia, Ange-  
lica custodia, et nunquam otiosus, sed semper  
aut lectione, aut descriptione, aut oratione, aut ali-  
quo utili labore occupatus; nec in ea quietem extra  
consueta tempora absque uenia Superioris capiat. In  
adhibendo lumine sit cautus, nec quidquam ibi re-  
tineat, quod summam non redolet paupertatem.  
Amet cellam tanquam temporaneum caelum, optetque  
non nisi ad caelum ex ea, DEO miserante, prodire.

## Caput VI. Dispositio Temporis.



1. Ordinatione IHSJ perseverat dies, ergo bono ordine ad gloriam IHSJ transigendus. Itaq; Surgentes paulo post mediam noctem, signo altero dato ad Ecclesiam confluetis, et per illam Stropham, Tantum ergo Sacramentum etc: Sanctissimum adorabitis. Deinde officium Immaculatæ Conceptionis B. V. M. usq; ad Nonam inclusive, secundum correctionem Romanam et approbationem Innocentij XI per Breve ad Augustissimum Imperatorem Leopoldum 1. anno 1678 die 18 Decembris missum, cum prima parte Rosarij, patriâ voce propter Fratres Coadiutores devote, distincte, attentè, clarè persolvetis. Postmodum horam orationi mentali dabitis; quâ finita benedictionem à Superiore cum aqua lustrali accipietis.

2. Ab hora sexta matutina usq; ad nonam, lectioni, Studiis laboribus ad præscriptum Superioris vacabitis; mediâ nonâ nocturnum diei cum laudibus officij Defunctorum recitabitis. Horâ decimâ sit Missa Conventualis, undecimâ Examen Conscientiæ cum reflexione animi ad quatuor novissima, et litanij de nomine IHSJ (dummodo à S. Sede Apostolica non rejiciantur) tum refectio præmissâ benedictione precibusq; consuetis. Condiat mensam lectio Sacra de prophetâ, præcipue novi testamenti, Vitarum Sanctorum, Regula Vestra, piorumq; librorum pro spiritibus et



et perfectionis augmento, silentiis uniuersis, lectaq; memoriæ mandantibus et imitationi.

3. Factâ gratiarum actione sedebunt omnes in communi, et legetur ipsis aliquis bonæ notæ Theologus moralis; nonnullis diebus Lubrica Missalis, aut Preuarij Romani, cum expositione probati Authoris, quas obseruabunt. Post hanc lectionem dicent alteram Rosarij partem cum litanij de B. V. M. consuetis, et usq; ad tertiam lectione piâ, descriptione, manualibus exercitijs, iuxta dispositionem Superioris occupabuntur.

4. Auditâ tertâ Vesperas Officioli et Defunctorû absoluetis. Meditationi, præmissis palmis decantissimo nomine MARIÆ, integram horam dabis, quam tertâ parte Rosarij concludetis.

5. Septimâ conferetis uos ad Refectorium collationem cum lectione Sumpturni; quâ finitâ in communi sedentes, uel de religiosa perfectione, promouendâq; gloria DdI, uel de casibus Consuetudinis inuicem conferetis modestè et non tactabundè. Octauâ facto examine conscientia, professioneq; fidei cum actibus contritionis, amoris, gratitudinis, perceptâ benedictione Superioris, ad quietem uos componetis in saluificis Vulneribus Nostrî Redemptoris. obdormientes.

6. Summarum Pontificum decreta præscripto tempore

omni



omnino legantur ad mensam: nec putent Superiores  
sibi fas esse ea interpretari, sed cum omni possibili-  
tate seruentur, et p[er] in ijs contenta in transgres-  
siones extendantur.

7. Vbi autem hora Canonica dicentur in communi, ha-  
bebit quilibet Superiorum potestatem hanc dispo-  
sitionem temporis aliter pro commodo suo Domini,  
et ordine meliori transmutandi, dummodo nihil ho-  
rum quae hic praescripta sunt, intermittatur.

## Caput VII De Superioribus.

1. Totam Congregationem Vestram unus Praepositus  
gubernabit sexennio duraturus; quo elapso, ut in-  
ferius adnotatur, uel alium eligentis, uel istum con-  
firmabit. Illius erit officij admittere uel dimit-  
tere Socios; Confessarios, Concionatores, instructo-  
res Tyrorum, promotores Confraternitatis Vestrae,  
libros typis edendos, approbare; Superiores loca-  
les creare, aut deponere, fundationes acceptare,  
domos uisitare, exerrantes corrigere, et si necesse  
fuerit etiam canigare, aliaq[ue] Generalibus propria  
statuere, imponere, exequi.
2. Quilibet autem Superiorum meminerit illius Diui-  
ni Spiritus moniti: Eccl[esi]ae III. Rectorem se posue-  
runt? noli extolli, esto in illis, quasi unus ex  
ipsis. Quare non dominator, sed forma gregis effe-  
ctus,



chus, prius faciat exemplo, quod imperaturus est  
uerbo, pariter cum omnibus legum Seruator, non tan-  
tum custos, pietate, discretionē, prudentiā pradius,  
Zelum lenitate, lenitatem zelo attemperans; ne per  
nimium rigorem, aut conuiuentiam magis obis In-  
stituto, quam prosit. Non aggrauet suos rigidis pe-  
nitentijs, aut mandatis; conformia uiribus, talentis,  
qualitatibus, cuiq; imponens. Cum enim teneantur  
Subditi sine excubatione parere, prouidendum est  
imperanti, ut talia iniungat, quibus cum gloria  
DEI, et suo merito, quisq; satisfacere possit.  
3 Contra Subditi non perturbent Superiorum ani-  
mos, uel proteruitate sua, uel duritiē; sed sua-  
uissimi uoluntati eorum in Domino acquiescant,  
reuerentes, potius eos ex amore, quam ex inani me-  
tu uerentes. Quod si cuiquam uideretur aliquis  
ex Superioribus remissior, aut minus exampla-  
ris; non ideo illum propter Dominum colere, atq;  
audire desistat, ipso Domino monente: quicumq;  
dixerint uobis facite, secundum autem opera eo-  
rum nolite facere. Multa enim compassione di-  
gni sunt Superiores, qui dum seruiunt omnibus,  
quandoq; seipsum negligere coguntur. Proinde  
orabunt semper Socij pro Superioribus, ut illos  
DEVS illuminet, dirigat, adiuuet, in gratia sua  
conseruet.



4. Praepositus totius Congregationis eandem Singulis trienijs visitabit, Diocesanus suas Domus Singulis annis; at Localis omnium cubicula ferè Singulis mensibus, nè quid in illis uocationi, paupertatiq; vestrae, aut munditiei disponum repetiatur. Omnes deniq; Superiores unanimiter in ead incumbent, ut maior semper cultus DEI floreat in Ecclesijs, in domibus pax, recollectio, charitas, uniformitas, in personis sanctitas, in bonis temporalibus conseruatio; quae ipsis nullo modo à Congregatione alienare sub Ecclesiasticis penis, licebit.

5. Sicuti in Ecclesijs vestris Verbum DEI prædicare necesse fuerit, hoc munus à Praeposito Congregationis talibus imponatur, qui necessaria doctrina, probiq; moribus imbuti sint, ut cum salutari fructu Audientium concionentur, illuminantes docendo, mouentes persuadendo. Ea proferre semper conentur, quae magis DEI, quam eorum laudem spirent, et in populo edificationem, morum emendationem, amorem timoremq; DEI, uirtutum bonorumq; operum exercitia, mundi contemptum, beatitudinis aeternae feruens desiderium, et curam, adiuuante DEO, excitent. Et sicut in proprijs absq; Superioris mandato, sic in alienis Ecclesijs absq; benedictione Ordinarij non prædicabunt.

6. Lectores impositum sibi docendi officium si aliquando



illos contingat Statuere) ad gloriam D<sup>ni</sup>, Sollicitè  
et diligentèr et cum profectu discipulorum exequantur.  
Prælegant potius probatissimos Authores, quàm scri-  
ptione seipsum ac discipulos fatigent. Ne tamen ita stu-  
dijs disciplinarum suarum unâ cum discipulis su-  
is immergantur, ut orationis et mortificationis o-  
bliviscantur.

7. Instructores Tyronum exemplares, prudentes, la-  
boriosi, spirituum discretionè præditi, constituantur,  
qui eos imprimis omnia exercitiâ perfectè edo-  
ceant, tum in abnegatione sui, et suorum, Chri-  
sti Domini sequela, contemptu præsentium, eter-  
norum aviditate, patientiâ, humilitate, modestiâ,  
Silentio, penitentiâ, orationis studio, regulari ob-  
servantiâ, et maximè amore D<sup>ni</sup> exercent; id  
semper præ oculis habentes, quod eorum cura  
sit illis commissa, qui formari debeant ad ani-  
marum imprimis consequendam salutem, deinde  
ad Congregationis ornamentum, et emolumentum.

8. Assignabit præterea in singulis Domibus Propo-  
situs Promotores Confraternitatis Immaculatae  
Conceptionis animabus fidelium defunctorum suf-  
fragantiis ex concessione Sanctissimi D. N. Pa-  
pæ Innocentij XI. anno 1681. die 20 Martij facta, et  
Ordinarij admisione, in vestris Ecclesijs erectis,  
Sive



Sive erigenda. Cui munus hoc meriti plenum com-  
mitteretur, modis omnibus in id incumbet, ut quam  
plurimos clientes, et cultores Immaculatae Virgi-  
nis, defunctorumq; Suffragatores pariat, fer-  
uentes, ac deuotos. Administret hanc Confrater-  
nitatem prudenter, ut magnum animarum lucrum  
consequatur, praesertim eas, quae huic Confrater-  
nitati nomina dederint personas, ad frequentem et  
Salutarem Sacramentorum penitentiae de Suchari-  
stia usum, tum Charitatis opera, fugamq; vitiorum  
adhortando, ac permouendo.

9. Alios quoq; Officiales, Procuratores, Oeconomos,  
Zelatores, curabit idem Praepositus habere per to-  
tam Congregationem; qui suis officijs ex amore  
DEI pro merito obedientiae quam diligentissime sa-  
tisfacere conabuntur, ut et charitatis et laborum  
suorum certam mercedem, a Domino nostro IESU  
Christo tempore suo recipiant.

## Caput VIII.

De Sacramentorum frequentatione et  
administratione.

1. Singulis Dominicis et festis celebribus, et quo-  
ties pie placuerit Superiori, tam Clerici, quam  
Frates Coadiutores (Familia domestica Semel in  
mense)



mense) præmissâ Confessione Sacramentali, et aliquâ piâ recollectione, ad Sacram Synaxim cum tera reuerentia accedant. In expositionibus Sanctissimi, quod rarissime fieri uolumus, Summa decetia tam in ornamentis, quàm in luminibus adhibeatur, uno saltem continuâ orationi insistente.

2. Sacerdotes singulis diebus, quantum fas erit, Sanctum Missæ Sacrificium ad Intentionem Sacrarum offerent, defunctorum præcipue Suffragijs careantum non obliuiscetes, et duo tantum Sacra ex Decreto Pontificis singulis mensibus sibi esse concessa non ignorent. Ut autem ex parte sua digne fungantur munere suo, nunquam cum tabis alicuius conscientia ad altare accedant, nunquam sine recollectione Summa, et Sufficiente præparatione. Sint exemplares, Sobrii, pudici, deuoti, rubricarum rituumque Ecclesie Romanae periti, et obseruantes. In Sacro non properent, neque diu morentur, uerum omnia distincte, attentè, et deuotè legentes intra mediam horam, opus hoc Diuinum non protrahant. Horas Canonicas in communi potius, quàm priuatim, recitent, lectioni Sacrae, et Theologiae moralis insistant, orationi sine intermissione uacent; ut uita probitate, et pietatis exercitijs non solum Congregationem illustrent, fulciant, promouant;

sed



sed toti Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ sint saltem Spirituali adiumento.

3 Ad hoc autem regale sacerdotium, non nisi solidis virtutibus et sufficienti doctrinâ instructi, per totius Congregationis Præpositum promoveantur ordinandi ad titulum competentem, eâ intentione, ut cultus D<sup>ni</sup> amplior inter uos uigeat, et auxilium defunctis, ad quod uocati esis, efficacius et frequentius præstetur. Habebit proinde Præpositus omnium S<sup>uæ</sup> Congregationis personarum qualitates bene cognitâs et perspectas, ut quemq; eo loco et officio admoueat, quod dignè et salutaritèr tenere et exercere possit.

4 Expediret deniq; pro conseruando Spiritu humilitatis, ut quantum fieri queat, ipsi Sacerdotes Ecclesiam ederrant: Sacra linæa et uasa mundent: ritori templorum et apparamentorum attendant, et conseruationi. Nec se præseferant alijs tumide quos præcellunt dignitatè, etsi illis debeatur ab omnibus, ob Christi reuerentiam Summa æstimatio. In Confessionibus excipiendis prudentiâ suauitatem coniungant, cauti in discutiendis pœnitentium conscientijs, præsertim rudium; discreti in Satisfactionibus assignandis, ab amicitijs contrahendis alieni, in dubijs et scrupulis resoluendis eruditi, non ignari Casuum reseruatorum Sedi Apostolicæ.



ca, Episcopis, Superioribus; Norintq non omnibus  
Semper absolutionem esse concedendam. Has autem  
leges nullo prorsus peccati uinculo obligare, exceptis  
his solum obligationibus, quas uota Simplicia  
et iuramenta afferunt.

## Caput XL.

### De Congregationibus habendis.

1. Conuenietis inuicem Singuli, uel aliqui, his  
de causis. Primò, Singulis Sexennijs ad eligens-  
dum totius Congregationis Præpositum, uel con-  
firmandum, et eius Assistentes, ac Præpositos Di-  
cesanos, siue Prouinciales, conuenient uocem acti-  
uam et passiuam habentes ex Singulis Diocesibus  
siue Prouincijs tres, ad unam domum literis Præpo-  
siti resignantis officium conuocati: ubi unus diei  
ei absentia præmissa, cantata Missa de Spiritu  
Sancto, tamdiu clausi erunt, donec dignum probi-  
tate, prudentia, religiosa disciplina, doctrinaque  
conspicuum per Secretas Schedulas elegerint:  
electo patentes Secretarius et Discretus Subscri-  
bent consentiente maiori parte electorum, et omni-  
bus manum electi in Signum reuerentiæ et obedi-  
entiæ exosculantibus. Post actum Electionis  
in Ecclesiam se conferent decantaturi Hymnum  
Te Deum laudamus etc. Si quis hic ambitionis  
fuerit



fuerit euidenter notatus, ad omnia officia perpetuo inhabilis declaretur. Postmodum Assistentium et Procuratoris Generalis, tum Provincialium per Secreta quoque Suffragia, fiet electio. Si uero aliquid in hac Congregatione decerneretur, Actis Generalibus inscribatur.

2. Habebuntur praeterea quolibet triennio Diocesanae Congregationes pro aliquo bono statuendo, aut euertendo malo; mittendisque ad Generale Capitulum, prout Superius adnotatum est. Ad quas Congregationes Vicarij locales Singularum Domuum cum suis Vocalibus Secretis electis confluent.

3. Superior localis bis qualibet Hebdomadâ conuocabit Suos. Et quidem feriâ sextâ culparum eluendarum per assignationem dignae poenitentiae gratia; quas candidè, apertè, animo pio, quisque genuflexus manifestabit proprias; nec se excusando ibidem humiliter poenitentiam impositam acceptabit. Quod si illi falsi quidpiam fuerit obiectum, nihil tunc respondebit, Sed postmodum Superiorem conueniens innocentiam suam (nisi malit innocenter pati cum Christo) testabitur; falsarius poenitentiae irremissibiliter punietur. Absit autem ab hoc insigni charitatis Tribunali odium, inuidia, Zelus nimius; quin potius in deferendis alienis defectibus, si sit periculum in mora, illam Euangelicam regulam sequi laudabile est; mone solus,  
admone



admane cum Socio, nisi resipuerit, defer tandem Sede-  
sid. At de extraneorum uitijis adeo nihil ad uos perti-  
nere existimate, ut, nisi bono zelo moueri uideamini,  
perstringenda uobis non esse censeatis.

4. Congregabitur secundo Superior localis suis diebus  
Dominicis post uesperinam meditationem, uel alio  
congruenti tempore pro conferentia Spirituali; quam  
ipse uel alius de mandato habiturus latino, uel uer-  
naculo, Simplici, claro, ignito, Sermone ad accen-  
dendos Suorum animos, ad uirtutes exercendas,  
passiones extirpandas, perfectionem Sectandam.  
Aut poterit liber aliquis pius de hac materia legi;  
qui tacite, sed efficaciter omnes adhortetur ad amo-  
rem Dei, Christi uestigia Sequenda, religiosam  
disciplinam obseruantiam, in Sancta penitentia per-  
seuerantiam. Finita conferentia mortificatio aliqua,  
uel oratio, uel actus aliquis uirtutis per hebdoma-  
dam ab omnibus exercendus assignabitur. Poterit  
etiam in eodem conuentu aliquid de bono publico  
Superior cum Senioribus tractare, si occasio, uel  
necessitas ex postulauerit.

5. Ultimo congregabuntur omnes communi signo cam-  
pana ad animam alicuius Socij iuuandam ex hac  
mortalitate decedentis, pijs monitis, orationibus, la-  
chrymisq; humilibus, Diuinae bonitati et misericor-  
diis commendandam, totis uiribus fraternè admi-  
tentes, ne quis in hoc Supremo agone de salute sua  
peni-



periclitetur. Superior sanè dabit operam, ut agnon  
solum remedia Sanitatis tempestiue summâ charita-  
te provideat, sed præcipue illa æterna; qualia sunt,  
Seria peccatorum confessio, et detestatio, fidei professio,  
contra machinationes Dæmonum protestatio, anima  
sua in Diuinas et Confessarij manus resignatio, san-  
ctissima Eucharistia deuotissima Susceptio, et Extre-  
ma Vnctionis; inuocatio auxiliorum Supernorum,  
in meritis Nostri Saluatoris absoluta spes et fiducia.  
6. Consuetæ preces Ecclesiæ circa agonizantem deuotè  
absoluantur, anima feruentè DEO commendetur,  
Defuncti cadauer abluatur decentè, piè intra tri-  
duum tumuletur, obitus quàm citissimè per ali-  
as domos diuulgetur; ut tant missarum  
Sacrificijs, quàm orationibus et morti-  
ficationibus defunctus ab omnibus  
adiuuetur; et uos omnes con-  
iuncti benedicatis misericor:  
3 dem DEVM in cælis,  
cui, licet indignè,  
Seruitis in  
ternis.



Nos Nicolaus Coplanus Dei gratia Episcopus  
Lionne et Bitunensis Decanus Pared  
et Vasauiensis Commendatarius Abbas Oben' Vni-  
uersi Spubis officialis Vasauiensis ac per Ducatum  
Meruile gnalis: Normam hanc ex Commissione  
C. Congregacionis S. R. Eusepii Cardinalium regu-  
lis et regulamentis Episcoporum et Regularium  
proprei, ab Eminen. et Reueren. Dno D.  
Luis Cardinali Colleso diligent. studio eius in-  
tam et summa sapientia concertam, auctoritate  
ordinaria qua fungimur admittimus, et ut typis  
mandes omnino tam condimus facultatem. In quibus  
idem. Datum Vasaui die 20. Februarii A. N. 1698.

Nicolaus Coplanus  
Episcopus Lionne, Decanus et  
Abbas Vasauiensis